



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensiſ Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Notatio ad Caput Quinquagesimum nonum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

digerere debet. Porro incrementum in fœmina, de qua agimus, cœlesti animaduersione, in somnis visio ei oblata est, qua didicit se breui curatum iri, si velit locum, ubi cæsus est ENGELBERTVS Episcopus adire. Difficiliter igitur & cum magno labore venit ad locum, moxque restituta, surrexit è lecto, & cibum potumque sumpsit, Deoque gratias agens, promisit se annum censum martyri illo in loco persolaturam.

Notatio ad Caput Quinquagesimum octauum.

B Manuscripti *Hildegundis*, inquit, *de Grutene oriunda*. Est vero Gruten, pagus haud longe ab oppidulo Medtman, auiturque à fluuio Dussela, qui Dusseldorpio Montensis Ducatus Metropoli nomen indidit.

Gruten.
Dussela.
Dusseldorp.

Caput Quinquagesimum nonum.

De puero ab infestatione curato.

C PVERVLVS quidam colli tumore ingenti & periculoso laborans, non linguam mouere, non cibum capere, nihil neque videre, neque audire potuit. Eare miserè afflicti parentes eius, cum multis lachrymis rogarunt, vt mitra beati martyris caput pueri tangeretur. O miram Dei gratiam! Mox vt mitra imposta est capiti infantis, tumores deturgent, noxij humores euanescent, & priusquam paternæ domus attingat limina, infans rotus reualefcit. Eam mitram in capite habuit Episcopus, cum trucidaretur. Itaque sacro eius tincta cruore, malè habentibus affert medicinam.

Vide mirum effectum mitræ Episcopi.
S. Engelbertus occiditur mitratus.

Notatio ad Caput Quinquagesimum nonum.

D Manuscriptus accuratior singulorum nomina exprimit. *In villa*, inquit, *Souelme ad altare B. Petri deportatus est quidam puerulus Albertus nomine, Hildebrandi Vinitoris filius &c.*

Ll 3

Caput